

ad locorum Ordinarios in sua cujusque Diocesi mandat omnino spectare.

(18. Cum autem prædictas suas Apostolicas Literas, utpote ad Lusitaniæ Regnorum, atque Ditionum opportunitatem accommodatas, et pro eisdem solummodo emanatas, generalis definitionis, et legis vim, auctoritatemque habere, ab aliquibus temere negaretur, ipse Summus Pontifex Benedict. XIV. non ignorans etiam alibi irrepsisse dictam perniciosissimam praxim, alia sua provida Constitutione incip. *Ad eradicandam*, edit. 28. Septembr. 1746. sic expresse declarat: « Ideo Nos motu proprio, atque ex certa scientia hujus nostræ generalis sanctionis tenore, ac de Apostolicæ potestatis nostræ plenitudine easdem præinsertas Literas iterum confirmantes et roborantes decernimus, et declaramus memoratam praxim in se ipsa, et ubique locorum ac temporum, Apostolica auctoritate reprobata, atque damnatam esse, et censeri debere; nec ulli licitum esse contra doctrinam in præfato nostro Brevi contentam docere, scribere, aut loqui, eamque impugnare aut perverse interpretari, vel ipsi actu contraire, sub pœnis adversus tuentes, asserentes, aut tradentes opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas et condemnatas, et respective adversus contrafacientes mandatis Apostolicis, et Ecclesiasticis sanctionibus, statutis, atque præscriptis. »

(19. Hinc juvat adducere, utpote scitu summe necessariam, declarationem Constitutionis incip. *Sacramentum Pœnitentiæ*, de qua supra num. 1. editam ab eod. Pontif. Bened. XIV. tom. 1. *Constitut.* 120. incip. *Apostolici muneris*, et est tenoris sequentis.

BENEDICTUS PP. XIV.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Apostolici muneris partes in procuranda præcipue rerum sacrarum pura, illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus, et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab Ecclesiasticis quibusque Ministris Sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non prætermittimus.

§ 1. Sane cum Nos alias per quamdam nostram Constitutionem, cujus initium est: *Sacramentum Pœnitentiæ*, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragésimo primo Kalendis Junii Pontificatus nostri Anno Primo editam, omnibus, et singulis Sacerdotibus tam Sæcularibus, quam Regularibus, interdixerimus, et prohibuerimus, ne aliquis eorum, extra casum extremæ necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus

obire possit, Confessionem Sacramentalem personæ Complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum Decalogi præceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset, tamquam impertita a Sacerdote, qui jurisdictione et facultate ad valide absolvendum necessaria, ipsi per Nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem præsentibus pro plene, et sufficienter expresso, et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictæ Constitutionis parte, quæ mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis et opinionibus jaectata, in sensu a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat, atque enervetur.

§ 2. Hinc est, quod nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, Motu proprio, ac ex certa scientia, et matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratam Constitutionem nostram, cum omnibus, et singulis in ea contentis, tenore præsentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integrè, penitus et omnino, atque ab illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, et inconcusse observari præcipimus et mandamus. Præterea habita super his cum Venerabili Fratre Nostro Vincentio Episcopo Prænestino Sanctæ R. E. Cardinali Petra nuncupato Pœnitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis Officii Pœnitentiariæ Apostolicæ Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus edicimus, ac declaramus, eadem Constitutione singulis, ut supra, Sacerdotibus quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in prædicto turpi peccato Complicem confitentem audire, atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio Sacerdote, qui Confessarii munus obire possit; ita interdicti re ipsa, et prohiberi prædicto modo tunc audire, et absolvere, ut si alius aliquis Sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo Sacerdos fuerit, sive alias ad Confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse Sacerdos simplex Confessionem excipere, ac absolutionem impertiri.

§ 3. Porro, si casus urgentis qualitas, et concurrentes circumstantiæ, quæ vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius Sacerdos ad audiendam constitutionem in dicto articulo personæ confessionem vocari, aut accedere, sine gravi aliqua exortura infamia, vel scandalo nequeat; tunc alium Sacerdotem perinde haberi, censerique posse, ac si revera abesset, atque deficeret; ac proinde in eorum statu non prohiberi socio criminis Sacerdoti absolutionem pœnitenti ab eo quo-

que crimine impertiri. Sciat autem Complex ejusmodi Sacerdos, et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus prædictam nostram Constitutionem inobedienciæ, latissime in ea pœnis obnoxium, si prædictæ infamiae, aut scandali pericula sibi ultra ipse coningat, ubi non sunt: immo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere, vel remove, opportunis adhibitis mediis, unde fiat, ut alteri cuivis Sacerdoti locus pateat illius Confessionis, absque ullius infamia, vel scandalo audiendæ. Ita enim ipsum teneri vigore memoratæ nostræ Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et præcipimus.

§ 4. Quod si idem Sacerdos, aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut, ubi infamiae, vel scandali periculum timetur, si alterius Sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum averendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personam in dicto crimine Complicis, eoque in articulo, ut præfertur, constitutæ sacramentalem Confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri, nulla, sicut præmittitur, necessaria causa cogente, præsumperit,

CONCEPTIO B. M. V.

ARTICULUS NOVUS CASINENSIS.

SUMMARIUM.

1. De peccato Originali, ejusque discrimine ab actuali. — 2. A generali humani generis infectione peccati originalis eximenda B. V. Maria. — 3. Distinctio intra Conceptionem Activam et Passivam. — 4. Non est sermo de Activa Conceptione, sed de Passiva tantum, et firmatur quænam sit questio. — 5-7. Triplex Piæ Sententiæ expositio. — 8. Quibus Testimoniis probatur Immaculata Conceptio. — 9. Quid notandum pro Sacræ Scripturæ Testimoniis in favorem Piæ Sententiæ adductis. — 10. Sacræ Scripturæ Testimonia Immaculatam Conceptionem faventia. — 11. De Traditione Apostolica. — 12. Sanctorum Patrum nomina, qui de Immaculata Conceptione disserunt, per sæcula distributa. — 13. De Theologis ac Doctoribus qui a sæculo XIII illam propugnarunt. — 14. Testimonia Conciliorum Ge-

neralium et Provincialium idem suadentia. — 15. De celebri Concilii Basileensis Decreto. — 16. Quomodo etiam a Summis Pontificibus facta adprobata. — 17. De Concilio Tridentino ejusque Decreto. — 18. Summorum Pontificum Testimonia. — 19. Sixti IV. Constitutiones de Immaculata Conceptione. — 20. A Summis Pontificibus statuta pro Immaculata Conceptione. — 21. Constitutio Sixti V. — 22. Sæculo XVII. quid a Pontificibus actum pro Piæ Sententiæ. — 23. Constitutio Alexandri VII. — 24. De censuris circa questionem Conceptionis. — 25. Pontifices sæculi XVIII. — 26. Concessiones a Gregorio XVI. factæ. — 27. Academiæ Parisiensis statutum. — 28. De cæteris Academiis et Ordinibus Religiosis. — 29. De festo Conceptionis ejusque Officio. — 30. Numisma Conceptionis B. M. V.

(1) Quoad Compositionem super legatis relictis Fratribus Minoribus, vide verb. *Legatum a n. 97. ad 100.* Quoad Compositionem debitorum cum creditoribus, vide verb. *Resitutio art. 5. a n. 50. ad 53.*

quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte pœnitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem requisitæ non defuerint. Non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem Sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne in hac ipsa occasione aliquis pereat. Nihilominus Sacerdos ipse violatæ ausu ejusmodi temerario legis pœnas nequaquam eifugiet; ac propterea latam in dicta Constitutione, majorem excommunicationem, eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis, et huic Sanctæ Sedi reservatam, incurrere declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ in præfata nostra Constitutione volumus non obstare cæterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Volumus autem, etc.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 8 Februar. 1743, Pontificatus Nostri anno Quinto.

D. Cardinalis Passioneus.

(20. Alia ad rem, vide verb. *Moniales art. 1. num. 18.* verb. *Pœnitentiæ Sacramentum n. 89. 90.* et infra verb. *Confessarius art. 4. n. 22. ad 28 (1).*

neralium et Provincialium idem suadentia. — 15. De celebri Concilii Basileensis Decreto. — 16. Quomodo etiam a Summis Pontificibus facta adprobata. — 17. De Concilio Tridentino ejusque Decreto. — 18. Summorum Pontificum Testimonia. — 19. Sixti IV. Constitutiones de Immaculata Conceptione. — 20. A Summis Pontificibus statuta pro Immaculata Conceptione. — 21. Constitutio Sixti V. — 22. Sæculo XVII. quid a Pontificibus actum pro Piæ Sententiæ. — 23. Constitutio Alexandri VII. — 24. De censuris circa questionem Conceptionis. — 25. Pontifices sæculi XVIII. — 26. Concessiones a Gregorio XVI. factæ. — 27. Academiæ Parisiensis statutum. — 28. De cæteris Academiis et Ordinibus Religiosis. — 29. De festo Conceptionis ejusque Officio. — 30. Numisma Conceptionis B. M. V.

facit, postquam persona est, hoc est sui juris, et arbitrii, Personale potest nominari, quia vitio personæ fit. » S. Ansel. *lib. de conceptu Virgin. et Orig. pec. cap. 1.* (2. Fide insuper tenendum est (Trident. *sess. 5*) Ad prævaricationem sibi et ejus propagini nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam eum sibi et nobis perdidisse; per inobedienciæ peccatum, mortem et pœnas corporis in omne genus humanum transfundisse, necnon peccatum, quod mors est animæ, dicente Apostolo « Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt. » Rom. c. 5. v. 12. Tamen a generali

et a num. 41. ad 59. De Compromisso quoad arbitros, vide verb. *Arbitri per tot, et quoad electionem verb. Electio art. 1. a n. 44. ad 51.*

hac humani generis infectione peccati eximenda est B. Dei Genitrix Maria; ut declarat ipsa Sancta Synodus Tridentina, non esse, scilicet, sua intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem; et constitutiones Sixti IV. hac de re innovat, l. c.

(3. Scholastici distinguunt inter Conceptionem Activam et Passivam. Activa illa est, in qua Beati Virginis Parentes « opere maritali invicem convenientes præstiterunt ea, quæ maxime spectabant ad ipsius corporis formationem, organizationem et dispositionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. Ipsa autem animæ infusio et unio cum corpore debite organizato, vulgo nominatur Conceptio Passiva, quæ scilicet fit illo ipso instanti, quo rationalis anima corpori omnibus membris, ac suis organis constanti unitur. » Sic cum Frassen. Benedictus XIV. De festis B. Virg. M. cap. 15. Huic consona est altera distinctio, qua Conceptio una Inchoata vel seminalis appellatur; altera Consummata, quæ Vitalis sive Animalis et Naturarum etiam dici potest. Utramque breviter explicat Innocentius III. lib. 1. de contempt. mundi cap. 4. aïens: « Est duplex Conceptio, una seminum et altera Naturarum. Prima fit in commissis, secunda fit in contractis. Parentes enim committunt in prima, Proles contrahunt in secunda. »

(4. Hic vero non est sermo de activa Conceptione, sed de passiva tantum, nec ideo de Inchoata, seminali seu Carnali, quæ rationalis animæ infusionem præcedit. Nam fatendum omnino est, B. Virginem in hac sui Conceptione nec contraxisse, nec contrahere potuisse Originale peccatum formaliter et in se, sed tantum radicaliter et in causa, sive in debito. Quapropter B. Virgo in hujusmodi Conceptione nec sanctificata fuit, nec formaliter potuisset sanctificari; quia sola rationalis Creatura est proprium subjectum peccati, et Gratia Sanctificantis. Immo BB. Virgo ante Animæ infusionem nec virtualiter quidem et in radice fuit sanctificata in semine vel in Parentibus: quia non est in semine qualitas aliqua, ratione cuius sit velut instrumentum physicum ad Originale Peccatum inducendum in Animam, ut hac ratione intelligi possit veluti mundari semen, et ita Prolem in illo, tamquam in radice sanctificari. Neque Parentibus Deiparæ Virginis indita fuit a Deo aliqua specialis Gratia, ex qua necessario consequeretur præservatio et Sanctificatio Prolis. Et hujusmodi Sanctificationem, ante Animæ infusionem repellere potissimum satagerunt primores illi Scholastici, Alexander de Hales, Albertus Magnus in III. sententiar. defn. 3. et D. Thomas Summ. part. 3. Quæst. 27. Hæc porro accurate distinguenda fuerunt, ne quod antiqui Scholastici de Sanctificatione B. Virginis in Conceptione activa et seminali negabant, de passiva Conceptione et de ipsa Animatione intelligatur. Præsens igitur quæstio est de B. Virginis Conceptione Passiva, vel Consummata seu Vitali, quæ fit per

infusionem Animæ in corpus; an scilicet in hac ipsa Conceptione B. Virgo fuerit a Deo sanctificata, sanctificatione præservante ipsam a peccato Originali. Vel ut in Alexandri VII. Constitutione Sollicitudo omnium Ecclesiarum habetur: « An Dei Genitricis Anima in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus, fuerit, speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum J. Christi, ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula Peccati Originalis præservata. »

(5. Pia Immaculata B. Virginis Conceptionis sententia triplici modo exponi potest; quorum primus est quorundam Antiquorum, qui, cum Originale peccatum per morbidas qualitates explicarent, Piam Sententiam sic exponebant: « Quamvis peccatum Originale sit in anima, in carne tamen est quædam qualitas, vel infectio morbida, ratione cuius ex conjunctione Animæ ad Carnem, habentem formaliter talem morbidam qualitatem, contrahitur peccatum Originale. Cum igitur ipsa qualitas morbida sit aliud ab ipsa Carne, potuit virtute Divina conservari talis massa Carnis, ne inficeretur, et si esset infecta, potuit mundari ante infusionem Animæ; ut si quantum est ex parte Generantium, fuerit Caro immunda et morbida, in se tamen, virtute Divina mediante, facta est Immaculata et Munda; ut sic ex unione Animæ ad ipsam non contraheretur in Anima peccatum Originale. » Sic apud Durandum et Paludanum in 3. dist. quæst. 1. Hunc ferme modum declarandi, tuendique Piam sententiam, posteriori tempore usurparunt Gab. Biel, Marsilius ab Ingen, Judocus Clichtoveus, alique nonnulli; at nobis non satis probatur, quia nec morbidæ illæ qualitates probantur.

(6. Altera sententia magno plausu a recentioribus Theologis recepta et propugnata asserit: B. Virgini cum cæteris Adæ Filiis minime communem fuisse legem illam seu pactum quod pepigit Deus cum primo Parente, de Justitia et Sanctitate in ejusdem posteros transfundenda vel non, prout ipse obediens, vel contumax fuisset; sed seorsum omnino ab Adami merito, propter dignitatem Matris Dei et merita Christi, fuisse ad sanctitatem prædestinatam; atque adeo nec peccasse in Adamo, nec Debitum proximum contraxisse Originale peccati incurrendi, multoque minus ipsum incurrisse peccatum. Debitum tamen remotum in B. Virgine non negant, ea dumtaxat ratione, quod cum esset Adæ Filia, ab ipso per naturalem propagationem descendens, eandem cum cæteris sortem subire debuerat, ut in illa communi lege comprehenderetur. At huic Suarez cum Vasq., Bellarmino, Raynaudo repugnans, vult: « Quemlibet prudentem Theologum et Dominæ nostræ valde affectum, debere non inclinare ad illud extremum (negandi videlicet in B. Virgine Originale peccati debitum), quoniam ad honorem Virginis nihil refert, neque ejus Immaculatae Conceptionis veritatem juvat; præbetque occasionem adversariis dicendi, non posse nos Immaculatam Conceptionem defendere, nisi declinando ad

opiniones, vel censura dignas, vel diminuentes Christi Redemptionem, vel saltem apparentiam talem habentes. » Tract. 5. de peccat. disp. 9. de peccat. Orig. post section. 4.

(7. Tertia denique piæ sententiæ expositio, eamque defendendi ratio, est: B. Virginem inclusam quidem fuisse in illa Dei lege, seu pacto cum Adamo inito de transfundenda Justitia et Sanctitate in posteros ex merito Adami, et ideo peccasse in Adamo, quatenus per ejus peccatum amisit jus ad Justitiam et Sanctitatem habendam (et hoc intelligunt peccare in Adamo), consequenter in se ipsa, et non in semine tantum vel in Parentibus contraxisse Debitum Justitiæ et Sanctitatis carendi, atque ita Originis peccatum incurrendi. Verum tamen ex gratia et privilegio singulari, intuitu meritorum Christi, B. Virginem, futuram ejus Matrem, ipsum Deum prævenisse, ne in ea debitum illud, quod ex Adamo contraxerat, haberet effectum; largiendo nimirum Animæ B. Virginis in prima sui Creatione et Conjunctione cum Corpore, veram Justitiam et Sanctitatem, quam ex Adami merito non erat acceptura; et sic eam ab Originali peccato incurrendo, immunem servasse.

(8. Quamvis non uno, eodemque modo Doctores Immaculatam B. Virginis Conceptionem tueantur, tamen in eo conveniunt, quod B. Virgo in primo Conceptionis instanti ab Originali peccato fuerit immunis; idque Sacræ Scripturæ testimoniis, Apostolicæ Traditionis documentis, SS. Patrum, Conciliorum, RR. Pontificum et Academicarum sententiis probant. Nos ex his quædam tantum speciali nota digna in medium afferemus.

(9. Obiter tamen notandum est, in Scripturis Sacris nullum adesse testimonium expressum, clarum, et indeclinabile pro Immaculato Virginis Conceptu, hoc enim si afferre possemus, non solum pie et recte existimari hoc diceremus, sed hæretici habendi essent, qui contra sentirent. Bellarmin. lib. 4. de amiss. grat. et statu peccati c. 15. n. 12. Sed neque Adversarii aliquod hujusmodi testimonium proferre valent. Secus enim errasset Sedes Apostolica, Concilio Tridentino assentiente, declarans erroneum esse hæresis insimulare Piam Sententiam. Neque ab ipsis alia producuntur S. Scripturæ testimonia, nisi generalia quædam, ex quibus Originale macula in humanum genus ex Adæ peccato transfusa colligitur; vel virtualia tantum, in quibus Christi Domini Redemptio omnibus necessaria prædicatur. Insuper a Piæ Sententiæ defensoribus plura exhibentur Sacræ Scripturæ testimonia, quæ sensu mystico accepta, non eodem ad demonstrandam, ad saltem ad illustrandam, et efficacius insinuandam Immaculatam Virginis Conceptionem quam maxime faciunt. Porro hi mystico sensu bene quidem utuntur, quemadmodum Christus ipse, Matth. XII. 40. Johan. III. 14. Evangelistæ, Matth. II. 15. 17. et Johan. XIX. 36. et Apostolus Paulus ad Gal. IV. 2. 3. 4. et ad Hebr. IX. cum Judæis agentes, Veteris Testamenti locis,

sensu mystico intellectis usi sunt, non ad incredulos redarguendos, sed pluries ad fidei mysteria declaranda, et plausibili ratione eorum veritatem comprobendam. At non pauca ex iis Scripturæ testimoniis, quæ a Pia parte proferuntur, non in sensu mystico, sed etiam aliquo sensu literali afferuntur, et si non ita clare, ut convincant, adeo tamen congruenter, ut suadeant. (10. Inter cætera quæ producantur testimonia hæc sunt principaliora: Genesis III. 14. 15: « Et ait Dominus Deus ad serpentem. . . . Inimicitias ponam inter te et Mulierem, et semen tuum et semen illius; tu insidiaberis calcaneo ejus, et Ipsa conteret caput tuum. » Psalm. 45. v. 5. 6: « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei; sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus. Deus in medio ejus non commovebitur, adjuvabit eam Deus mane diluculo. » Præclara sunt, quæ in Cantic. Canticor. habentur c. 2. v. 2: « Sicut Liliū inter spinas, sic Amica mea inter Filias; » cap. 4. vers. 7: « Tota pulchra es, Amica mea, et Macula non est in te; » et cap. 6: « Una est Columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitrici suæ. Viderunt eam filia et beatissimam prædicaverunt. . . . Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol. » In Isaia pariter cap. 11: « Et egredietur Virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. » Item Luca I. 28. ubi dicitur: « Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena, Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus. » Quoad alia Scripturæ Sacræ Testimonia, et de modo, quo Immaculatae Conceptioni applicantur, vide Salazar, Herminier, Ambros. Catharinum, Plazzam, nec non Emi S. R. E. Cardinalis Lambruschini opus hac de re absolutissimum, quod vir præstantissimus, tot tantisque publicis detentus negotiis, pari sapientia ac pietate conscriptum ac universali omnium plausu exceptum nuper in lucem edebat. Confer etiam Johan. Scotum, P. Aureolum, Andream, Natalem, Mairon, Liranum, Carav. penes quos etiam S. Scripturæ Testimonia invenire est ab adversariis allegata, eorumque confutationem.

(11. Nunc quid de hac quæstione senserint Patres videamus. Confitendum est, duobus primis Ecclesiæ sæculis nihil hac de re actum fuisse; attamen hujusmodi silentium quin adversetur, rei nostræ quam maxime favet, quid censendum est, ea ætate hoc indubie ab omnibus et singulis Christi fidelibus fuisse habitum. Nam BB. Virgo peculiari quadam devotione venerabatur, et omnium privilegiatissima, cui numquam similis visa est, causa Divinæ maternitatis habebatur. Hinc si ab aliquo quocumque Doctore de immunitate ab Originali peccato B. Virginis Mariæ unquam dubitatum foret, ejusdem defensionem cæteri susciperent, de qua re aliqua extaret memoria: qua deficiente censendum est, numquam de hujus rei veritate fuisse dubitatum. Hujusmodi oppositionis fundamentum est præclara illa Litera, qua a Presbyteris et Diaconis Achajæ referuntur

næ S. Andreae verba : « Et propterea quod ex immaculata terra creatus fuerat primus homo, necesse erat, ut ex Immaculata Virgine nasceretur perfectus homo, quo filius Dei, qui ante condiderat hominem, vitam æternam, quam perdidit homines, repararet. » Lambruschini in prælaudato opere *sull' Immacolato Concepimento di Maria*. § 18. 19. (12. Sunt tamen Auctores, qui ut Traditionis Apostolicæ seriem numquam interruptam demonstrent in hac materia, a primo Christi sæculo incipiunt, et præter Literam allatam, referunt testimonium Liturgiæ S. Jacobi Apostoli, quæ extat initio *part. 1. tom. 2. Bibl. maxim. PP.* et initio *tom. 2. Bibl. PP. GL. pag. 5. 6.* Ex Sæculo secundo afferunt testimonia SS. Justini Philosophi et Irenæi, *Dialog. cum Tryphon. tom. 2. part. 2. Bib. M. PP. pag. 95. et lib. 3. advers. hæres. Valentini cap. 33. p. 300. part. 2. tom. 2. Bibl. M. PP. et lib. 5. cap. 19. pag. 353. ibid.* Ex Sæculo III. S. Hippolyti Episcopi Portuensis, Origenis *homil. 1. in Matth. cap. 1. Cum esset desponsata, et hom. 3. in Matth. cap. Angelus Domini apparuit in somnis Joseph. SS. Gregorii Neocæsariensis, Dionysii Alexandrini, Methodii. Ex Sæculo IV. SS. Ephrem Syri, de Divinis nominibus. cap. 12. Basilii Magni *homil. in Christ. Nativit. pag. 597. edit. Paris. Epiphanius Ambrosii (1) lib. 2. in cap. 2. Luc. Ecce Ancilla Domini. Hieronymi Comment. in c. 10 Ecclesiast. Væ tibi terra. Gregorii Nysseni, hom. 13. in Cant. Sophronii Senioris, et S. Johannis Chrysostomi. Ex Sæculo V. D. Augustini Lib. de natur. et gratia cap. 36. n. 42. præclara illa verba : « Excepta itaque Sancta Virgine, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quæstionem. Inde enim scimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum; quæ concipere, ac parere meruit, quem constat nullum habuisse peccatum. Hac ergo Virgine excepta, si omnes**

(1) Divo etiam Ambrosio a Doctissimo P. Joh. Bapl. Federici (*La Immacolata Concezione della B. V. M. comprovata a' sentimenti dei SS. Padri, nel rincontro di un Inno attribuito al Dottore S. Ambrosio*) tribuitur Hymnus, *Quis possit*, qui extat in Cod. MS. n. 420. Archivi Casinensis, quo utebantur ejusdem Archisterii Monachi in Divino officio. Codex porro ille asserit conscriptus sæculo IX. vel X. ut patet ex characterum forma qua tempore Caroli Magni veteres utebantur, et Hymnus S. Ambrosii nomen præfert. Codicis auctoritatem, et Hymni authenticitatem satis demonstrat laudatus Federici Casinensis Tabularii custos l. c. Quod ad nos pertinet in præfato Hymno luculentum habetur testimonium Immaculatae Conceptionis in 4. strophæ. Quoniam vero in Romanæ Ecclesiæ Hymnariis desideratur, illum hic per integrum subnectimus.

Quis possit amplo fame præpotens
Digne fateri præmia Virginis,
Per quam veteris sub laqueo necis
Orbi retento reddita vita est!
Hæc, Virga Jesse, Virgo puerpera,
Hortus superno germine consitus,
Signatus alto munere fons sacer,
Mundum beavit viscere cælibi.
Hausto maligni primus ut occidit
Virus Cheydris terrigenum parens;

illos Sanctos et Sanctas, etc. » Insuper SS. Maximi Taurinensis, Cyrilli Alexandrini, Procli Patriarchæ, etc. Petri Chrysologi *Serm. de Annunciat. B. M. V. Basilii Seleuciensis, Jacobi Sarugensis et Sabbæ Abbatis, in Mænis Græc. 2. 3. 5. Januar. et 12. Februar. Ex Sæculo VI. S. Fulgentii, Anastasii Sinaitæ, Aratoris S. R. E. Subdiaconi, et Timothei Episcopi Hierosolymitani. Ex Sæculo VIII. Testimonium SS. Sophronii Junioris, Andreae Hierosolymitani, Hildephonsi Toletani, Ex Christi Sæculo VIII. Germani Patriarchæ CP. *Orat. in Annunciat. B. V. pag. 88. sui Marialis, S. Johannis Damasceni Orat. 2. de Assumpt. B. M. Ven. Pauli Diaconi, et B. Flacci Albini, seu Alcuini. Ex Sæculo IX. Haymonis Episcopi Halberstatensis, S. Petri Argorum Episcopi, et Theophanis Ceramei Episcopi Thauramenitani. Ex Sæculo X. quod obscurum appellant, nullum est testimonium invenire, præterquam Leonis VI, Orientis Imperatoris, cognomento Sapientis seu Philosophi in *Orat. 3. de Annunciat. B. V. pag. 50. sui Marialis, et Johannis Geometræ. Non ita ex duobus sequentibus, nam Sæculo XI. hujusmodi B. Mariæ privilegium satis aperte tradiderunt S. Fulbertus Episcopus Carnotensis, Petrus Damianus S. R. E. Cardinalis, *Serm. de Annunciat. B. V. M. Michael Psellus Junior, dictus Philosophus, S. Anselmus Cantuariensis Tract. de Concept. passio. et Lib. de Concept. Virgin. (sed magna dissensio est inter AA. a genuini D. Anselmi fœtus sint censendi) ejusque discipulus Eadmerus, S. Bruno Carthusianorum institutor, Jacob Monachus Græcus, S. Bruno Astensis, Episcopus Signiensis, Et Sæculo XII. Ven. Hildebertus Archiepiscopus Turonensis, B. Ivo Carnotensis, Rupertus Abbas Tuitiensis, Honorius Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, Hervæus Benedictinus Monachus, Auctor Sermonum super Antiphonam *Salve Regina, B. Hugo de S. Victore, Richardus a S. Victore, Arnoldus Carnotensis Abbas Bo-*****

Hinc lapsa pestis per genus irrepens
Cunctum profundo vulnere percussit.

Rerum miseris sed Sator, inscia
Cernens piæ viscera Virginis,
His ferre mortis crimine languido
Mandat salutis gaudia sæculo.

Emissis astris Gabriel innubæ
Æterna portat nuntia Virgini:
Verbo tumescit latior æthere
Alvus replentem sæcula continens.

Intacta mater, Virgoque sit parens,
Orbis Creator ortus in orbe est,
Hostis pavendi sceptræ remota sunt,
Toto refulsit lux nova sæculo.

Sic Virginalis vincula permanent
Prodit pudoris dum thalamo potens;
Mansere clausæ arcibus ut fores,
Intrante demum quos sera vinxerat.
Hoc signat ædis janua non patens,
Quam celsa Vatis visio prodidit
Soli tremenda pervia Principi,
Mansura nempe clausa perenniter.

Sit Trinitati gloria unica
Virtus, potestas, summa potentia,
Regnum retentans, quæ Deus unus est,
Per cuncta semper sæcula sæculi. Amen.

(Edit. Casin.)

nævallis D. Bernardi discipulus, Venerabilis Gerholdus Præpositus Richerspergensis, Beatus Ogerius Abbas Lucedii, Petrus Comestor, Petrus Blesensis, Ecbertus Abbas S. Florini, Nicolaus Monachus S. Albani, et Petrus Episcopus Carnotensis. Sæculo XIII. B. Petrus Paschasius in *Opuscul. de Mysteriis et Sanctitate B. M. V. contra Judæos, prænotat. Biblia. parva tit. 23. de Matris Dei Virginitate n. 71.* Sæculo XIV. Ven. Engelbertus Abbas Admontensis, S. Birgitta in suis *Revelationibus, Raymundus Jordanus. Sæculo XV. SS. Vincentius Ferrerius, Bernardinus Senensis, Johannes Capistranus, Laurentius Justinianus, Ven. Dionysius a Ribel Carthusianus. Sæculo XVI. S. Thomas a Villanova, Franciscus Borgia, Ludovicus Bertrandus. Sæculo XVII. S. Franciscus Xaverius. Sæculo denique XVIII. S. Alphonstus de Liguorio, et B. Leonardus a Portu Mauritio.*

(13) Quoad Theologos vero, et Doctores dici potest absque falsitatis nota, quod a Sæculo XIII. quo in Scholis hujusmodi quæstio exagitari cœpit, ad Sæculum XV usque, Pia sententia defensores obtinuit præclarissimos, quos inter Johannes Duns, Petrus Aureolus, Franciscus de Mayronis, Gulielmus de Rubione, Antonius Andreas, Hervæus Natalis, Nicolaus de Lira, Johannes Taulerus, Petrus de Ally, Johannes Gersonius, Tostatus Abulensis, Nicolaus de Cusa, Gabriel Biel, Johannes Trithemius, Vasquez, Salmeronius alique quos Eminentissimus Lambruschini in laudato opere § 52. commemorat. Adversæ nihilominus Sententiæ propugnatores non defuerunt, sed auctoritate, numero, atque doctrina longe inferiores, et eorum præcipui Egidius Columna, Henricus Gandensis, Durandus a S. Pontiano, Alvarus Pelagius, et Gregorius Ariminensis. A sæculo autem XV. usque in hanc diem, paucis exceptis, non est inter Theologos, qui nostræ sententiæ nomen non dederit. *Ibid. § 53. 54.*

(14) Sanctorum Patrum Testimoniis, Conciliorum et Synodorum generalium, necnon Provincialium adnectimus Testimonia. Et quamvis Provincialia et Episcopalia Concilia, Sedis Apostolicæ Auctoritate non munita, firmam fidem non faciunt; nisi tamen a Sancta Sede fuerint rejecta, probabilissimum subministrant veritatis argumentum. Primum in hac re testimonium est Epistola Synodica S. Dionysii Episcopi Alexandrini ad Paulum Samosatenum anno 260. *tom. 1. Concilior. sequitur Homilia S. Procli Ciziceni ad Concilium Ephesinum spectans circa annum 431. dein Concilium Lateranense sub Martino I. celebratum an. 649. his verbis : « Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur proprie, et secundum veritatem, Dei Genitricem, Sanctam, semperque Virginem, et Immaculatam, etc. » Can. 3. tom. 7. Concilior. Epistola Synodica S. Sophronii Hierosolymitani lecta et adprobata in VI. Synodo Generali tract. 10. tom. 7. Concil. Concilium Francofordiense, in epistola Synodica ad Hispaniæ Præsules anno 794. Concilium Provinciale Oxoniense in Anglia a. 1222. Statuta Synodalia Ecclesiæ Cameracensis a. 1310. Conci-*

FERRAR. II.

lium Provinciale Londinense a. 1328. Synodus Suessionensis a. 1334. Synodus Cæsar-Augustana celebrata anno 1368. Concilii Generalis Basileensis Decretum editum anno 1438. his verbis : (15. « Elucidantibus Divinæ Gratiae mysteria, mercedem gloriosam re-promisit æterna Dei Patris Sapientia, dum ait : *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt. (Eccl. 24. 31.)* Quod etiam de Gloriosa Virgine, quæ ipsam Patris Sapientiam, Dei filium Æternum, in utero pertulit Sacrosancta legit Ecclesia. Nam quidquid de dignitate, et sublimitate Virginis Matris educitur in lucem, hoc, non dubium est ad laudem et honorem Filii pertinere. Et qui honorificant Gratiam, et Sanctitatem Matris, honorificant, et elucidant gloriosum Nomen Filii ejus, qui ipsam sanctificavit, et replevit Gratia. Unde si in cæteris rebus elucidatio veritatis, quæ a Domino Deo est, præclara merita parturit; in ea re specialiter fructus uberrimos afferre speranda est, quæ Sanctificationem, et Dedicatorem Templi illius concernit, in quo ante Sæcula, antequam terra fieret, et ab æterno sibi mansionem ordinavit prima, et æterna Veritas. Id quoque maxime congruit, ut pax habeatur in quæstionibus concernentibus Sanctitatem illius, per quam pax diffusa est in terris. Hactenus vero perdifficilis quæstio in diversis Partibus, et coram hac S. Synodo, super Conceptione ipsius Gloriosæ Virginis Mariæ, Matris Dei, et exordio Sanctificationis ejus, facta est : quibusdam dicentibus, ipsam Virginem, et ejus Animam per aliquod tempus, aut instans temporis subjacuisse actualiter Originali Culpæ; aliis autem e converso dicentibus, a principio creationis suæ, Deum, ipsam diligendo, gratiam eidem contulisse, per quam a Macula Originali illam Beatissimam Personam liberans, et præservans, sublimiori Sanctificationis genere redemit, cum fundaret eam *Altissimus ipse*, et ipsam fabricaret Filius Dei Patris, ut esset Mater ejus in terris.

« Nos vero, diligenter inspectis auctoritatibus, et rationibus, quæ jam a pluribus annis, in publicis relationibus ex parte utriusque doctrinæ, coram hac Sancta Synodo allegatæ sunt, aliisque etiam plurimis super hac re visis, et matura consideratione pensatis; doctrinam illam disserentem, Gloriosam Virginem, Dei Genitricem Mariam, præveniente, et operante Divini Numinis gratia singulari, numquam actualiter subjacuisse Originali Peccato, sed Immunem semper fuisse ab omni Originali, et Actuali Culpa, Sanctamque, et Immaculatam; tamquam Piam, et Consonam Cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ Rationi, et Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, et amplectendam, definimus, et declaramus, nullique de cætero licitum esse, in contrarium prædicare, seu docere. Renovantes præterea institutionem de celebranda Sancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quam per alias Ecclesias, sexto Idus Decembris, antiqua, et laudabili consuetudine, celebratur; statuimus et ordinamus, eandem celebritatem præfata die in

25